

2000-01-25 – SS Ioannes Paulus II – Epistula ‘Salutaris Quidem’

IOANNES PAULUS PP. II

***EPISTULA DATA
MARCELLO ZAGO, SECRETARIO
CONGREGATIONIS PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE***

*Venerabili Fratri Marcello Zago
Secretario Congregationis pro Gentium Evangelizatione*

Salutaris quidem Veritas anno millesimo nongentesimo Amazonias Peruviae regiones contigit, ubi constitutae sunt tres primae Praefecturae Apostolicae in locis scilicet de Ucayali, Sancti Leonis de Amazonas et Sancti Dominici de Urubamba. Christianae fidei semen, annorum decursu, instar grani sinapis, penitus radices immisit; hac de causa, percrebescente fidelium numero, memoratae Praefecturae in octo Vicariatus Apostolicos sunt divisae, qui appellantur: Iquitonsensis, Giennensis in Peruvia, Pucallpaensis, Portus Maldonadi, Requenaensis, Sancti Iosephi de Amazonas, Sancti Raymundi et Yurimaguaensis. In praesens vero illae ecclesiales communitates ovantes plaudentesque se parant ad centenariam memoriam ab illis conditis Praefecturis colendam.

Omnibus ibidem astantibus fervidam Nostram salutationem ac benevolentiam porriges, pro Nobis sacris liturgicis praeeris, sermone Tuo Nostram ad mentem eventus illius momentum atque opportunitatem pristinum fervorem renovandi illustrabis. Magna quidem spe fore confidimus ut dilectae illae communitates e laboriosa centum annorum evangelizatione, dum tertii millennii limina sollemniter ingrediuntur, maius adhuc capiant incrementum.

Interea Tibi, Venerabilis Frater, locique Praesulibus cunctis et Magistratibus nec non universo clero populoque talia sollemnia colentibus, Benedictionem Nostram Apostolicam, divinarum gratiarum nuntiam et sincerum spiritualis prosperitatis documentum, veluti praesentes ex animo dilargimur.